

Nolken:
De jure sicuti one praeteris
formam.

KC
7/63





40
V I R O

EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO
MAGNIFICO DOMINO

DOMINO

JOANNI GUILIELMO
ENGELBRECHT

J. U. DOCTORI ET IN ACADEMIA REGIA
DUCALI JULIA CODICIS PROFESSORI

CELEBERRIMO

ILLUSTRIS ORDINIS SUI ANTECES-
SORI PRIMARIO

FASCES ACADEMICOS

QUARTUM SUSCIPIENTI

DIATRIBE HAC EPISTOLARI

DE

JURISDICTIONE PRÆTORIS
ROMANI ET PRORECTORIS
ACADEMICI IN MULTIS CONVENIENTE

GRATULATUR

DEVINCTISSIMUS IPSI CULTOR

RUDOLPHUS AUGUSTUS NOLTENIUS,
JURIS STUD.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS, 1726.





VIR MAGNIFICE
PATRONE SINGULARITER
COLENDE

REvertuntur ad TE divinis auspiciis fasces academi-
ci, quos ex TUA TUORUMque in hac
purpura Antecessorum dignitate aliquoties gessi-
sti, & nunc inter faustas acclamationes quartum
suscipis. Plaudit & in gaudia solvitur tota Julia,
gratulatur TIBI illustris PATRUM conscriptorum ordo, a-
morem suum & lætitiā produnt nobilissimi Academiae
cives, & vota pectore concepta votivis sermonibus & scri-
ptis publice testantur. Omnium sane, quos terra sustinet,
forem ingratus, si auspiciatissima hac festivitate silerem,
nec, dum praesenti mihi istis lætitiis interesse non liceat,
votorum meorum summam publico pietatis documento
TIBI transmitterem. Neque vero me fugit, quantum gra-
ti animi apud TE valeat memoria. Veretur mihi noctes
diesque in mente insignis TUUS in me adfectus & pluri-

ma inde profecta beneficia. Pietas ergo animum stimulat, benefactorum memoria calamum concitat, ulterioris patrocini TUI spes vota & pii animi *τεμνήσια* elicit. Cum autem constituisset, pauca his pagellis immiscere, quæ rerum varietate sese TIBI probarent splendidissimoque muneri TUO quam maxime convenirent, nullum aliud argumentum occurrit dignius, quam illud, de jurisdictione Prætoris romani & Prætoris academici in multis conveniente. Incidit Prætorum origo in annum U. C. CCCLXXXIIX. post *ἀναρχίαν* quinque annorum ob legem tribuniciam de altero consule ex plebe designando, qui eum in finem potissimum auspiciis majoribus, ceu GELLIVS *Noct. Attic. L. 18. c. 15.* loquitur, creati sunt, ut Consulibus foris belligerantibus, domi de causis civilibus cognoscerent, & saluti reipublicæ in administranda justitia prospicerent. *L. 2. §. 27. de O. J.* Patriciorum fraudes circa eorum constitutionem egregie ostendit ILL. THOMASIVS *in nevvis iurispr.* Eandem fere ob rationem Academiæ Prætores a summo reipublicæ Capite, quod populi vices gerit, constitui, notum est, ne Principes, dum clavo reipublicæ lentando occupantur & de pace belloque consultant, multitudine negotiorum obruantur; iis Academiæ gubernaculum committentes, qui reipublicæ litterariæ statum optime norunt ejusque præsidia stabilitatis & ornamento dignitatis in majus provehere satagunt. Quem in finem Prætores, sicut Prætores romani, initio magistratus sui, oratione solenni regiminis futuri modum exponunt, & deinde novis emergentibus casibus, edictis cavent, quid a civibus suis fieri, quid intermitteri velint: quæ, sicut jus prætorium honorarium, vim legis quidem non fortiantur, nisi speciali Principis confirmatione munita sint, in reverentiam tamen cujusque Prætoris sancte sunt observanda. Sicut autem Præfeco Urbis apud Romanos merum imperium, vel, si majoris jurisdictionis concessa erat, ut patet ex *L. 10. J. de susp. iur.* ita Prætori jurisdictionem tantum civilem competisse, ex antiquitate compertum habemus. ILL. BÖHMERT *introd. in ius D. L. 1. tit. 14. §. 2.* Simili modo ad Prætores academiæ.

academicos regulariter civiles tantum caussarum cognitiones spectare solent, reservato Principi mero imperio, nisi ipsi aliud placuerit. Aestimandum autem est ex privilegiis & statutis cujusque Academiae, an & in quantum jurisdictio criminalis illi concessa sit. SCHRÖDER *in Jure Publ. Part. spec. sect. I. n. 6.* ZIEGLER *de iur. mai. L. I. c. 32. n. 22.* Habebat Prætor Album, pro rostris loco eminentiori adfixum, RÆVARD. *in protrib. c. 4.* inde forsantita dictum, quod albis insignitum fuerit litteris, ut opinatur THEOPHILUS *in paraphrasi Inst. §. 12. de action.* Habet & Prorektor Academiae κατ' ἀρχαίον suum Album, cui edicta & constitutiones in gloriam magistratus sui vergentes adfigit. Et licet actio de albo corrupto, utpote quæ popularis erat, in foris Germaniæ cesset, licet secus sentiat SCHILTER *Exerc. IV. th. 25.* ad ea autem, quæ perpetuæ jurisdictionis causa proponuntur, id restringens: Prorektor tamen in corruptores tabulæ nigræ pro ratione circumstantiarum & malitiæ gradu inquirere eosq; condigna pœna cōcercere potest. Aliquem vero usum edicti prætorii: quod quisque juris in alterum staterit, ut ipse eodem jure utatur: ex interpretatione usuali, etiam in Prorektoribus academicis, præsertim iis, qui magnificum Jureconfulti nomen tuentur, esse, inde colligo, quod quis eam doctrinam, quam publice professus est, etiam contra se admittere debeat. Cujus rei aliud exemplum occurrit *in L. 6. C. de fruct. & lit. expens. item 2. feud. tit. 33. §. 1.* Notum est porro, DD. plerumque distinctionem in processum ordinarium & summarium, a jure prætorio derivare. Infinitæ conclusiones, inquit ILL. BÖHMERUS *l. c.* & tota processus romani ratio ex officio Prætorum dependet, quod ad intellectum jurium romanorum multum facit. Illustranda inde est distinctio inter actiones utiles & directas, contractus nominatos & innominatos, stipulationes prætorias & judiciales, inter modos tollendi obligationem ipso jure & ope exceptionis, quod L. c. sit quasi contractus. Hactenus ille. Ordinarium vocant, cum Prætor in solenni Assessorum confessa pro tribunali partibus dabat actionem, exceptionem & judicem pedaneum. Summarii vero nomine eum indigitant, cum Prætor de plano, id est, de sella in loco tribunalis inferiori

posita, causas partium summatim cognoscebat: vel, ut aliorum fert opinio, quando quis Prætori de tribunali in planum descendenti, in via aut domi desiderium suum exponebat & hoc modo Prætor de juribus partium respondebat. Quomodo cunque autem se hæc habeant, transferamus hunc juris dicendi modum ad Prorectores academicos. Illi nempe vel convocata universa Professorum concione in lites & causas civium suorum inquirunt modoque ordinario procedunt: vel, ne forum academicum multitudine causarum laboret, cives suos in causis levioris momenti domi audiunt & lites exortas sopiunt. Huc quadrat, quod, sicut Prætori ex æquo & bono cognoscendi dijudicandique competeat facultas, CICERO *L. I. offic. c. 10.* ita quoque Prorectori integrum sit, non semper jure rigoroso cum civibus suis agere, sed paternis admonitionibus & levi castigatione errore lapsum in viam reducere. Prætori in tribunali jus dicenti aderant in subselliis Assesores seu Consiliarii, qui quidem ipsi de jure non respondebant, Præto-rem tamen instruebant. Eadem concilia academici facies occurrit. Assident ibi Prorectori Collegæ, quos ipsius Consiliarios non incommode vocaveris, qui judiciis ferendis eum plenius instruunt, consilia communicant & suffragiis latis decreta Prorectoris confirmant. Assesores hos, quorum mentionem feci, seligebat Prætor, præstito ante jurejurando, quod optimum quemque sibi adsciscere vellet. Ita Prorector ad concilium, ut vocant, arctius eos sal-
tim convocat ex Collegis, quos ira, odio, amore, misericordia vacuos esse opinatur, ut de rebus dubiis consultantes, judicante Sallustio, esse decet. Hæc siquidem naturæ humanæ indoles est, ut sæpius amicitia, æmulationi, invidia, nummis, nobilitati aliquid contra jus fasque indulgeamus. Poterat itaque reus ab actore aut ipso Præto-
re datum judicem, jurato ante jurejurando perhorrescentiæ, recu-
sare. Quid aliud dicendum de foro academico? Nonne ibi hospites, cognati, patres & alii, quos partium studium a justitiæ tramite in devia abripere potest, tamdiu secessio-
nem a Consistorio academico facere debent, dum correlato-
rum suorum causa pertractata sit. Ventilari quoque so-
let,

let, an litterarum jurisque imperiti Assessoris officium ge-
rere potuerint: quod omnino verum esse, inde colligo,
quia ad ejusmodi judicis munus sustinendam sapissime no-
biles romani, rerum ignarissimi homines, & ut plurimum
nihil gloriae præter fumosas majorum imagines habentes,
admovebantur, in quos quidem Marius apud Sallustium
optimo jure acerbe invehitur. Imo ipse *VLPIANUS L. 19.*
§. 1. D. de judic. Judicibus, inquit, (pedaneis scilicet) de jure
dubitantibus Præfules respondere solent. Miram videri
possit, quomodo hoc ad Assessores Prorektoris transferre
velim, cum in Professorum numerum recipiatur nemo, nisi
cujus eruditionis fama orbi innotuit. Verum enim vero
contingit sæpius, ut judicium mixtum in foro academico
constituatur, civile scilicet & militare, quod jam olim apud
Romanos in usu fuisse, docet *L. 1. C. de offic. vicar.* Sæpissime
autem accidit, ut in Academia præfidiis militaribus firmata
lites inter Apollinis & Martis filios, quorum concordia ra-
ra est, exoriantur, cum utriusque in gladio stringendo eximi-
am virtutis suæ laureolam quærant. In quod dum inquiritur,
Centurio aut alius militum præfectus, qui plerumque juris
sunt ignari, in consilium Consistorii Academici adhibentur,
qui rem, prout a militibus suis gesta narratur, Consistorio
exponunt, & communi consilio pœnam in delinquentes
sanciant. His accedit, quod *L. 17. C. de judic.* hominibus mi-
litaribus judicandi facultatem permittat. Atque hæc sunt,
VIR MAGNIFICE, quæ de Prætoris & Prorektoris academico
in præsentia commentari volui. Constitueram ante, sol-
enni panegyri illustris familiæ *TUÆ* merita in Acade-
miam Helmstädiensem, quæ *TE* jam quartum ex inclita *EN-*
GELBRECHTIORUM gente, salutis suæ promotorem a-
gnoscat, decantare: quod tamen consilium, in utramque par-
tem subductis rationibus, mutavi, cum rem viribus meis im-
parem me suscepturum cognovissem, & de hoc argumento
silere, quam pauca proferre, magis tutum putavi. Celebrant
ista poëtæ & posteritati commendent, qui sublimes ferunt
sidera vertice. *TU* interim, *VIR MAGNIFICE*, has quales-
cunque meditationes exporrecta fronte accipies, & potius
animi

animi grati, quam virium mearum rationem habebis. Concede, ut porro sub patrocini TUI umbra delitescam, nec ornare eum desine, quem per aliquot annos in Academia Julia tam benigno animo complexus es. Sum & ero laudum TUARUM si non idoneus præco, venerabundus tamen earum admirator. Veneror illustrem profapiam TUAM inter summa Purpuratorum & Jureconsultorum nomina, & tot exquisitissima illorum eruditionis monumenta, quæ equidem in summis delitiis habeo, satis admirari non possum. Conservet modo summus rerum arbiter ad seram posteritatem splendidissimam hanc stirpem & unumquemque ex ista bono publico diutissime superesse velit. Auspicati TIBI sint, VIR MAGNIFICE, quos augustissimus GEORGIUS fidei TUÆ commendat, fasces, averruncet DEUS a TUO regimine cuncta sinistra omnia & gloriam amatissimæ Julię indies amplifcet: conservet idem sospites & incolumes Academiæ PATRES, *pios, iustos, sapientes, gloriosos*, quorum eruditionis famam & insignia merita orbis litterarius veneratur & mirabitur sera posteritas. Exörnet summum Numen omnibus & animi & corporis dotibus florentissimam Civium coronam, ut habeat imposterum ecclesia & respublica veræ pietatis, justitiæ & salutis publicæ statores. Certeur sub consulatu TUO virtutibus, nemo illic vitia rideat, nec corrumpere & corrumpi, prisco Germanorum more, seculum vocetur. Ita vale, VIR MAGNIFICE, & magistratus TUI felices undecunque experire successus. Dabam
Halæ Nonis Julii clo locc xxvi.




Kc 716^a

ULB Halle
005 214 068

3





40
15
V I R O

EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO
MAGNIFICO DOMINO

DOMINO

JOANNI GUILIELMO
ENGELBRECHT

J. U. DOCTORI ET IN ACADEMIA REGIA
DUCALI JULIA CODICIS PROFESSORI

CELEB

ILLUSTRIS ORDIN
SORI P

FASCES AC

QUARTUM S

DIATRIBE HA

JURISDICTIONE
ROMANI ET

ACADEMICI IN MUL

GRATU


DEVINCTISSIMU

RUDOLPHUS AUGU

JURIS

HALLE MAG

LITTERIS HENR



FRIEDRICH
UNIVERS.
HALLE

